

ritas, alienitas, duritas, jejunitas, lascivitas, succitas, obscuritas, obscenitas &c. veluti de vocibus ejusmodi in autoribus occurrentibus commentatur circa vocem, sospitatis examinatam *Joh. Henr. Meibomius de Magni Aurel. Cassiodori formula comitis Archiatror. p. 40. nota 19.* Utitur autem *Obesitatis* nomine *Columella*, *Svetonius*, *Plinius* aliique plures. In sequentibus exponetur quòd obeforum atque pingvium dotes & actiones animi non semper laudem nanciscantur in autoribus: sic tropicè etià *obese naris homo* ponitur pro eo, qui stupidi est ingenii & exilioris judicii, ut nihil intelligat aut persentiscat. Sic apud Græcos *πάχης* obesum aut corpulentum denotat; vel *παχὺς* tatus idem ac *ἀνοῦλος* est, & τὸ *πάχος* crassitudinem ac ruditatem, *παχύνο* stupidâ mente vel ingenio præditum & *παχύδερμον* cute crassâ atque pingvi circumdatum, uti & rudem, rusticum ac fatuum significat. Bœoti vel Bœoticum ingenium similiter stupidum & crassum connotat, sicuti Bœotia insimul crassos & obesos homines ac bruta aliàs alere dicitur. Rationes sequentes autem illius metaphora, de nare obesa, arbitratur esse *Joh. Nicol. Wernerus in corpusc. philolog. p. 213. &c.* (1.) quod pingvedo sensu careat, hinc pingve ingenium pro stolido reputatur, de quo paulò ante dictum & citatus *Wernerus* agit l. a. p. 219. uti & ad *Persii Satyr. 1. v. 57.* *Lubinus in commentario p. 643.* (2.) quòd pingvis humor pro quacunque crassa materia, muco vel blenna nares obstruente & olfactum cohibente sumatur, hinc blenni idem valent ac stolidi; ex adverso verò naris emuncta homo æquivalet limato, polito seu recto judicio, de quo l. c. p. 213. & 215. Freqventer etiam aliàs olfactus vel verbum subolere accipitur pro sagacitate prudentia & præsentione futurarum rerum, uti ex eodem autore constat p. 212. Ad normam hanc Germanis etiam ejusmodi formulæ loqvendi usitatae sunt v. g. *Er hat eine dicke oder dünne Nase/ er riechets oder hat den Schnupfen.* Dicta hætenus explicat etiam illud adagium, quò pingvi vel crassâ *minervâ* seu *Μύσα παχυτέρα*, pro minus solerter, subtiliter, & eruditè, sed obiter, oscitanter aut ruditer tractata, corrasa aut effusa re accipitur & pronuntiatur; de cujus adagii expotitione *Philologus* ille non vulgaris, jam beatus & noster